

cuus ipse ad illum librum accurate cogno-
 scendum, et ea, quae velles, explicanda dare
 possem. Sed postea ita cecidit tamen, vt
 quem ocii fructum speraueram, ille mihi da-
 tus non sit. Nam extiterunt negotia non
 parum multa, quae me a lectione librorum,
 et a studiis illis in quibus conquiescere soli-
 tus eram, diuellerent, quibus quidem nego-
 tiis implicatus fui; donec iis, quae mearum
 erant partium confectis, cetera in fratrem
 transfundere liceret. Quod cum non ita
 pridem contigerit, vt vere affirmare possim,
 quia intelligis me citius rescribere non po-
 tuisse, accipies, si te bene noui, excusationem
 meam. Ac nunc quidem, vt singulis episto-
 lae tuae partibus ordine respondeam, periu-
 cunda mihi erat gratulatio tua, in qua quidem
 se ex omnibus partibus amor in me tuus
 ostendit, ac quoniam me ad amicitiam co-
 lendam prouocas, non committam ego, vt
 meum in eo genere officium desiderare pos-
 sis. Atque vtinam non tam longo locorum
 interuallo disiuncti essemus, vt et saepius in-
 ter nos congregari et coram signa beneuolen-
 tiae nostrae dare possemus. Quod si rarius
 fiat, quam ego velim, rationem tamen inibo,
 vt per literas tecum quam saepissime loquar,
 et de omnibus rebus communicem. Nam
 cum